

4/92

KALENDIS NOVEMBRIBUS  
MCMXCII



RVMOR VARIVS





# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSIS in aedibus AKADIS  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Præmium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographæum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersce	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Quoque anno in capite Norvegiae, cui nomen Oslo est, prae-  
mia Nobelia tribuuntur, inter alia etiam praemium Nobelium  
pacis, quo homines honorantur, qui de iuribus hominis, de  
pace, de mutua nationum consensione, de iustitia bene  
meriti sunt.

Apte accidit, ut hoc anno paucis diebus post celebrationes  
ambiguas et controversiis comitatas Columbi in Americam  
adventus causa actas, quamquam indigenis neque tum neque  
hodie causae celebrationum agendarum esse videntur, - bene  
et apte igitur accidit, ut praemium Nobelium pacis mulieri  
indianae indigenae attributum sit: Rigoberta Menchu recepit  
praemium Nobelium pacis propter operam suam iustitiae et  
reconciliationi nationum diversarum datam. Praeses collegii  
ad praemia Nobelia distribuenda Francis Sejersted: "Non  
erat difficile hunc delectum habere", ait. "Rigoberta  
Menchu symbolium est pacis et iustitiae in America Latina:  
Nationibus indigenis oppressis vocem reddidit."

Rigoberta Menchu 33 annos nata, indiana nationis 'Quiche'  
ipsa egestatem, oppressionem vimque passa est et caedes  
suae familiae ac nationis vidit in patria Guatemala. Sed  
non desperavit neque in odio perseveravit, sed incubuit  
pugnae pro iuribus hominis et iustitia pro nationibus  
oppressis Americae Latinae.

In planteis (Plantagen) cafeariis et harundinis sacchari  
cum parentibus fratribusque exiguum victum quaesivit condi-  
tionibus miserimis. Cum pater eius, Vicente, ausus sit  
inopiam, miseriam, perpersionem et vim, quibus regimen  
Guatemala, dictatura militaris, indios opprimebat, ostentare  
et animos terrarum externarum ad ea convertere, anno  
MCMLXXX° cum XXXVIII sociis ad nuntiaturam Hispanicam  
interfectus est. Viri, qui tantum iura hominis observanda  
postulaverant a copiis regiminis vivi combusti sunt. Paulo  
post milites matrem Rigobertae violaverunt et necaverunt et  
filiae ne concesserunt quidem, ut matrem sepeliret. Amici  
et vicini quoque postea trucudati sunt.



Rigoberta Menchu confugit ad monasterium monacharum. Ibi linguam oppressorum suorum didicit et consilio ad consensum agricolarum curandum, quod pater eius instituerat et cui ipsa hodie praeest, se adiunxit.



Rigoberta Menchu

sed etiam de sapientia indianorum et sodalitate eorum cum rerum natura, cuius partem se esse existimant.

Propter hanc pugnam de iuribus hominis Rigoberta Menchu a variis institutionibus internationalibus ad iura hominis tuenda honorata est. Maxime autem ad pugnam suam incitatur spe, quam a maioribus herede accepit. Dixisse fertur: "Spes nobis est, quia pessimistae esse non possumus. Nostra natio D annos oppressionem maxima patientia sustinuit. Nostri maiores nos patientiam docuerunt."

E Mexico, ubi in exsilio vixit, pugnam pro iuribus hominis et aestimatione indigenarum in Guatemala et in America Latina gessit.


Ab anno MCMLXXXIII<sup>o</sup> consocia est collegii ad iura hominis curanda Nationum Unitarum, ab anno MCMLXXXVI<sup>o</sup> consocia quoque consilii Nationum Unitarum ad iura indigenarum Americae curanda.

In libro, quem anno MCMLXXXIII<sup>o</sup> edidit, titulo "Ich heisse Rigoberta Menchu und so wurde mein Bewusstsein geboren" narravit non solum de rebus horribilibus, quas vidit et passa est,

Anniversaria et controversiae de eorum celebrationibus effecisse videntur, ut homines aliarum partium mundi sibi conscii facti sint factorum indianorum, indigenarum Americae. Utinam efficiant quoque, ut condiciones vivendi eorum tandem meliores fiant!

Valete!

Daniel Weissmann



## De iuventute mea

Natus sum Bernae, quod, ut scitis, caput est Helvetiae. At biennio post parentes mei mecum et cum minore sorore mea Curiam emigraverunt, quod est caput Grisonorum pagi. Ibi, in illa parva et antiquissima urbe, quae mea opinione rectius vocaretur oppidulum, totam iuventutem meam peregi. Saepenumero narrae audiveram de Turico, maxima Helvetiae urbe, quae esset sita ad infimam partem lacus Turicensis et ubi habitaret familia avunculi mei et amitae, patris mei sororis. Eorum duo filii nihil mea intererant, sed eorum filia, virgo amabilis et venusta, quam aliquando apud nos Curiae videram, amorem meum excitaverat, quamvis ego tum decem solum annos natus essem, consobrina autem iam prope viginti annos nata esset. Itaque cupidissimus eram primo consobrinae iterum conveniendae, secundo urbis Turici tandem aliquando videndae. Aliquando mater mea amata mihi dixit amitam, quae Turici habitaret, me invitasse, ut ferias aestivas apud se suamque familiam degerem, et duabus

hebdomadibus post cum primus dies feriarum advenisset, mater me ad stationem comitata est ibique ab amabili conductore (Kondukteur) petivit, ut mihi, simulatque ad stationem nomine "Enge" advenissemus, explicaret mihi e via ferrata esse exeundum, quod finis itineris mei hic esset et amita mea me exspectaret.

Ignorabam, utrum tristitia an laetitia in anima mea praevaleret. Tristis eram, quod matrem meam amatam relicturus essem, et laetus eram prospectu urbis Turici et consobrinae. Multis basiis a matre acceptis multisque matri a me datis tandem viam ferratam escendi neque multo post, cum via ferrata iam moveretur et stationem Curiensem reliquisset, ego iam ad fenestram sedens foras spectabam et magno studio explorabam vicos et stationes, quas praeterveheremur quorumque nomina iam dudum edidiceram. Cum ad lacum advenissemus, cuius nomen erat "Walensee", mirabar lacum inter altos montes praeruptos iacere et plane esse desertum navibus naviculisque, quamvis Iuppiter esset serenissimus, et regio tota satis mihi displicebat. Quindecim plus minus minutis post advenimus ad lacum Turicensem, qui aspectum mihi plane alium praebuit. Nam vidi plures naves cum velis albis in lacu vectas. Praeterea regio tota multo erat amabilior montibus altis praeruptisque plane sublatis et collibus amoenis citra et ultra lacum apparentibus, ita ut Iuppiter caeruleus longe lateque luceret. Qui spectus me reddidit felicem montes altos semper perosum. Proxima statione, ubi via ferrata constitit, conductorem audivi extra curram vociferantem: "Thalwil!". Paulo post ad me venit et dixit: "Proxima statione tibi erit e via ferrata exeundum. Te comitabor foras, ut sciam amitam tuam re vera te exspectare." Cordialiter ei gratias egi et decem minutis post via ferrata constitit et conductor me foras comitatus amitam meam conspexit et subridens salutavit, sed amita eum vix resalutavit nihil aliud curans nisi, ut me amplecteretur riscumque (Koffer) meum assumeret. Salutata amita laeto cum animo tandem dixi: "Noli portare riscum meum! Ego portabo", et amita concessit.

Cum autem statione nomine "Enge" exiissemus egoque caeruleam viam ferratam (Strassenbahn) ante stationem stantem et paulo post iterum abeuntem vidissem, interrogavi amitam:

"Nonne vehemur ista via ferrata?" et amita respondit: "Non illa, sed ea, quam ibi vides appropinquantem."

Paulo post caerulea via ferrata vecti transiimus pontem rivaie (Quaibrücke) et ego semper per fenestram spectans mirabar multitudinem autocinetarum et a dextra parte lacum Turicensem longe lateque extentum navibusque frequentem. In platea autem, quae appellatur "Hegibachplatz", exiimus et centum fere passus nobis erat pedibus eundum usque ad parvam et brevem viam nomine "Schleifergasse", quod nomen per iocum Latine reddere audeo hoc modo: "Via cote exacuentium", ubi parva domus erat familiae amitae et avunculi.

Dum amita in coquina cenam praeparat, in cenatione (Esszimmer) exspectabam consobrinam revertentem et avunculum fratresque consobrinae. Simul res meas e risco exemi et in dormitorium meum portavi. Subito audivi portam aperiri iamque sperabam consobrinam e negotio suo domum revertisse. Et re vera vocem eius in coquina audivi et eodem fere momento eam conspexi in cenationem intrantem. Me visum laeta voce salutavit basiumque mihi in fronte fixit. Postea Eduardus quoque frater eius minor apparuit et, ut mos est eius, ridens et per iocum me interrogavit, num Curiae iam nives cecidissent.

Cum autem familia tota congregata esset, ad mensam consedimus cenatum. Inter cenandum omnes magno cum studio vicissim me interrogabant, num familia mea tota bona valetudine esset et de affinibus (Verwandte) quoque et de vicinis, quos noverant, a me cognoscere cupiebant, quomodo valerent, ita ut mihi omnibus respondenti ad famem meam magnam explendam vix tempus superesset.

Post cenam cum fatigatus essem, a mensa surrexi et omnes bonam noctem habere iubens me in cubiculum meum recepi. Attamen in lecto somnum capere non poteram, cum imaginem venustam consobrinae semper ante oculos haberem. Exspectabam, dum in cenatione silentium fieret et cum opinarer omnes cubitum iisse, surrexi et leniter per cenationem ad portam dormitorii consobrinae ii, ut ibi per foramen claustrum (Schlüsselloch) spectarem et consobrinam, si fieri posset, seminudam viderem. Attamen fieri non potuit, cum consobrina iam camisa esset induta lectum suum conscensura. Tum aliquomodo deceptus leniter ad dormitorium meum reverti.

Insequens dies erat lunae dies. Consobrina iam ad tabernam abierat, ubi laboraret. Illa taberna sita erat in Via stationis (Bahnhofstrasse), non procul ab lacu, et nomen habebat Anglicum "London House".

Ego usque ad meridiem amitam adiuvi in re domestica curanda et conclavibus purgandis. Post meridiem autem liber eram et cottidie fere ad lacum Turicensem degrediebar, ubi institutum balneare (Badeanstalt) "Utoquai" situm est. Ibi in piscina natate didici et duabus hebdomadibus post iam in piscina natantibus destinata natabam. Quin etiam foramen portae simile, per quod e piscina in lacum apertum natari poterat, transnatavi usque ad dolium, quod a balneo triginta metra distans in lacu nataret semperque eodem loco maneret. Cum autem ab illo dolio retro in balneum natavissem, tam sublatus eram facinore meo, ut solarium circum ceteros hospites, qui in tabulis iacentes sole utebantur, ambularem.

Quarta fere hora post meridiem balneum "Utoquai" reliqui, ut celebrem Viam stationis inviserem et sexta hora ante tabernam "London House" consobrinam expectarem, unde de labore suo hodierno egressura erat. Via stationis non est tam lata quam esse putaveram, sed utraque pars per totam longitudinem tiliis arboribus est consita. Cum ad plateam nomine "Paradeplatz" advenissem, consedi in scamno prope tabernam, ubi acta diurna (Zeitungen) emuntur, et primo conspexi multas vias ferratas caeruleas et magnam multitudinem autocinetarum, quae praeteribant. Deinde vidi aedificia circum, cognovi domum argentariam, magnam domum "Griender", ubi veneunt imprimis serica (Seidenstoffe) et vestimenta, vidi quoque deversorium quod "Baur en ville" vocatur, tum domum, ubi bellaria (Leckerbissen) emuntur, nomine "Sprüngli" et in recessu (Hintergrund) supra ceteras domus eminentem turrinam conspexi ecclesiae, quae vocatur "Fraumünster".

Placuisset mihi intrare in tabernam "Sprüngli", ut biberem at ederem aliquid, sed videre volebam totam Viam stationis usque ad stationem principalem et sub horam sextam volebam consobrinam expectare ante domum "London House", ex qua, ut erat usa, cottidie post laborem cottidianum excessura erat. Itaque properandum mihi erat. Festinanter degressus sum ad plateam stationis principalis neque minus festinan-

ter totam viam reverti usque ad "London House". Consobrina mihi non diu erat exspectanda. Iam excesserat, laetissimo vultu exclamavit: "Tu hic, mi amice; quam amabilis es, cum venisti, ut me a loco laboris mei abducas (abholen)! Quam amabiliter egisti! Nunc autem, nisi repugnas, pedibus domum petemus, primo in riva lacus usque ad balneum "Utoquai" et inde Viam Cornus Campi (Feldeggstrasse) domum ascendentes. Respondi: "Nihil moror", et commode iucundeque garrientes media hora post domum advenimus.

Emanuel Bernard



# Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. cognomen Vergilii poetae
2. alacer
3. cui eadem sors contigit ac Abel (Gen.)
4. pars corporis humani (Gen.)

1	2	3	4
2			
3			
4			

1. coniux regis animalium (Acc.)
2. igitur
3. frumentum nobis praebet
4. fatua

Daniel Weissmann

# Litterae ad editores

Doctissimo viro Danieli Weissmann Victorius Ciarrocchi  
Pisaurensis S. P. D.

Occasionem nactus praefationis tuae in secundo RUMORIS  
VARIII fasciculo, qua legentes hortaris, ut suis symbolis  
dolum vestrum repleant, pauca liceat mihi de eventu pro-  
ferre, quo – ut scripsisti in primi fasciculi praefatione  
'ante 500 annos mundus valde mutatus est.'


Si 'conquistadores' multa sceleris facinora patrarunt,  
oportet tamen ne condiciones adventusque pericula oblivis-  
camur, quibus Hispanici milites ubique premebantur; ad hoc  
indigenarum simplicitas benignitasque non impediabant, quo-  
minus saepissime humanae victimae immolarentur.

Insuper, si frigidus pacatoque animo res gestas omnium popu-  
lorum inspexerimus, luce clarius erit eos, qui gentes ter-  
rasque subegerunt, numquam molliter se gessisse.

Ut multa demum paucis perstringam, dies duodecimus mensis  
octobris 1992° dignus mihi videtur, qui magno cum gaudio  
memoretur. Quid de Columbo deque eius sodalibus? Eorum nemo  
procul dubio talis fuit, ut virum exempli recti appellare  
possimus. Attamen, tam forti audacique animo omnes fuerunt,  
ut quae illi ausi sunt admirationem haud dubiam excitare  
videantur.

Te omnesque RUMORIS VARIII redactores perhumaniter salutatur

Victorius Ciarrocchi Pisaurensis



## *De nominibus locorum Latine indicandis*

Persaepe in textibus Latinis nomina locorum indicanda sunt.  
Persaepe quoque textuum auctores nesciunt, qualia nomina  
usurpentur.

Sunt, qui modo amici et collegae nostri Emanuelis Bernard  
nomina locorum sermone patrio adhibeant, velut "urbs, quae  
Theodisce 'Bern' vocatur; flumen, quod Germani 'Themse'  
appellant; vicus, qui 'Andeer' nominatur" etc. Talis modus  
indicandi habet incommoda tria maxima: Lectores linguae  
Theodiscae ignari nesciunt, de qua re agatur, quippe qui  
locum ipsorum lingua aliter vocent ac lingua Theodisca  
(e.g. 'Themse' Anglice est 'Thames', 'Bern' Francogallice  
est 'Berne' et Italice 'Berna', 'London' Francogallice est  
'Londres', 'Belgrad' Serbice est 'Beograd', 'Warschau'  
Polonice est 'Warszawa', 'Klausenburg' immo Dacoromanice  
est 'Cluj' etc.); nomina Theodisca non vel male in casus  
Latinos inclinari possunt; modus nomina circumscribendi  
nimis gravis est.

Quid ergo faciendum est? Multa oppida, vici, urbes, flumina  
montesque iam temporibus Romanorum nota nomina Latina iam  
habent. Quibus in casibus ea nomina adhibenda sunt: Panno-  
nia (Ungarn), Lusitania (Portugal), Lutetia (Paris), Aven-  
ticum (Avenches), Arausio (Orange), Eboracum (York), Arura  
(Aare), Mons Poenninus (Grosser St. Bernhard) etc.

Alia loca medio aevo, quod dicitur, latinizata sunt: Berna  
(Bern), Rahprehtesvillare (Rapperswil) etc.

Etiam tempore humanistarum, qui dicuntur, et tempore recen-  
tiore et recentissimo locorum nomina latinizata sunt et  
latinizantur: Cuvaitum (Kuwait), Hustonia (Huston), Peruvia  
(Peru), Pontipolis (Bridgetown), Claudiopolis (St. Claude)  
etc.

Haec nomina in libro inveniuntur, qui a domo editoria  
Vaticana divulgatur, quique nomen habet "Lexicon nominum  
locorum". Quo lexico permulta locorum nomina continentur ab  
Aquisgrano (Aachen) usque ad Zytomirium (Zytomierz), quae  
urbs sita est in Polonia. Immo vici Helvetici velut  
Cussenacum (Küssnacht), Spluga (Splügen), Kyburgum (Ky-  
burg), Einsidla (Einsiedeln) aliique indicantur.

Sin autem nomen quaesitum non inveneris aut ipse formam  
Latinam finges (Walterswil est 'Valtharivillare'?, Alten-  
dorf est 'Altendorpium' vel 'Palaeopolis'?) aut modo cir-  
cumscribendi ages (Rüschlikon est vicus, qui Theodisce  
'Rüschlikon' appellatur). Latinius autem semper est formas  
Latinas (et in casus inclinabiles) creare quam circumscri-  
bere. Si quis voluerit, licebit formam Latinam adhibere et

eam formam, quantum fieri potest, lingua indigena explicare: 'Nova Caesarea' (Anglice: New Jersey), 'Venustopolis' (Francogallice: Jolivet), 'Fridericoburgum' (Anglice: 'Fredericksburg'), 'Frisia' (Theodisce: Friesland) etc.

Affirmet aliquis hunc modum nomina Latine reddendi esse fraudationem quasi linguarum indigenarum. Sed memores simus nos quoque loqui de 'Neuenburg', de 'Moskau', de 'Athen', non de 'Neuchâtel', de 'Moskwa', de 'Athine'. Cur ergo non liceat loqui de 'Neocomo', de 'Moscuca', de 'Athenis'?

Spero fore, ut mox omnes RUMOREM VARIUM colentes et in adhibendis nominibus vere Latine loquantur!

Martin Meier



### Carmina Spiritualia Afrorum (Negro Spirituals)

#### Iosua bellavit apud Ierichum

(Josuah fought the battle of Jericho)

Verba repetenda



Io-su-a bel-la-vit a-pud Ie-ri-chum,



Ie-ri - chum, Ie - ri - chum



Io-su - a bel-la- vit a-pud Ie- ri - chum,



cor- ru - e - runt moe- ni - a



1. Gi-de- on - tis vi - ros me - mo - res



Sau - li - ex - er - ci - tum, sed



ne - mo par est Io - su -



ae, qui bel - la- vit a-pud Ie - ri - chum.

2.  
In Ierichi tum gladium  
it tenens moenia.  
"Sodales, cornu canite,  
mea est victoria!"

3.  
Tunc tubae soniturae sunt,  
cum eis cornua;  
quae flari cum statuerat,  
corruerunt moenia!

Versio Latina: Martin Meier

## Quomodo Hercules Prometheum liberavit

Prometheus Titan a Iove in monte Caucaso religatus est, nam ignem e caelo rapuerat. Iecur Promethei semper a vulture laniabatur. Aliquando Hercules, Iovis filius, qui iam magna facinora gesserat, eo venit. Cum Prometheum in rupe stantem vidisset, eum interrogavit: "Cur tanto supplicio affectus es? Quomodo liberari potes?" Prometheus: "Poenas superbiae do", inquit, "quod hominibus vitam dare ausus sum. Eos quoque ignis usum docui. Itaque pater tuus me hoc in monte religavit avemque istam in me immisit. Tu autem, amice, liberare me poteris. Transfige avem crudelem sagittis tuis!" Hercules petenti libenter obsecutus est et libertas Prometheo reddita est.

Barbara Maier



## DE FRAUDATORIBUS DECEPTIS

Personae:           Glaucus mercator  
                      Afer servus  
                      Tullia, Glauci filia  
                      Laelius agricola  
                      Grippus causidicus  
                      Phoebus, Grippi filius  
  
                      Chori I et II

### PROLOGUS

Chori I et II:

Salvete, spectatores ornatissimi,  
Spectaculum praebemus iucundissimum!  
De 'fraudatoribus deceptis' agitur,  
De sonitu verborum, de prudentia.  
Amoris quoque dolor et suavitas  
Apparent ac cernuntur hac in fabula.

## SCAENA I

Personae: Glaucus mercator; Afer servus.

(Afer liegt auf einer Bank und schnarcht)

Glaucus: Heu, heu, carnifex, nonne te pudet in multam lucem stertere?

Afer : Nondum dilucescit.

Glaucus: Bene video, nebulo, nam verba tua dilucida non sunt. Move te!

Afer : Moveo, optime; quid me iubes facere?

Glaucus: Fac, ut tota domus niteat. Aliquot amiculi hodie nobiscum cenabunt. Audin' haec?

Afer : Plura quam vellem.

Glaucus: Cave, ne sis moribus agrestibus! Grippus conviva causidicus praestantissimus est, et Phoebus, filius eius, in studio litterarum maxime versatur.

Afer : Ha, ha, lepidi convivae tibi sunt, domine! Grippus omnia ad suam utilitatem refert Phoebusque saepius in studio mulierum quam litterarum versatur.

Glaucus: Tace, stulte! Numquam artes elegantes intelleges. Ego autem, Glaucus mercator, filiam meam tantum homini docto in matrimonium collocabo. Itaque Phoebus, homo litteratus, gener meus erit. Dixi.  
(Er geht hinaus)

Afer : O miseram puellam! Pater stultus tibi est, maritus stultior tibi erit.  
(Er geht hinaus)

Chorus I : Vae miserandae Tulliae!  
Pater eius honoris sacra fame tenetur.  
Quid de puella fiet?  
Frigent omnia consilia.

Chorus II: Persaepe pavor occupat mortales.  
Persaepe animi eorum cadunt.  
Una est via salutis:  
Confugiamus ad fidem deorum!



## SCAENA II

Personae: Afer Servus; Tullia, Glauci filia; Laelius, Tulliae amator.

(Afer tritt auf mit einem Besen. Er beginnt zu fegen)

Tullia : Pst, Afer, pst, serve!

Afer : Aut parum prospiciunt oculi, aut Tulliam, filiam domini mei, vident.

Tullia : Nihil te fallunt oculi, optime. Vides Tulliam, filiam miserrimam patris caecissimi. Pater habet Phoebum pro homine docto et honesto. Phoebus autem bona patris amat, non amat Tulliam.

Afer : Nihil vero addi potest ad hanc improbitatem.

Tullia : Homo est pistrino dignus. Numquam patri obtemperabo. Amo Laelium agricolam, virum probum et modestum, procerum statura. Eumque amabo in omnia saecula.

Laelius: (hervorstürzend)  
O delicias puellae!  
O longe omnium carissimam!  
Numquam te relinquam, Tulliolum!  
Moriemur una!

Afer : Nolite desperare! Nondum omnium dierum sol occidit. Commodis vestris serviam. Grippus Phoebusque dolo capientur, animus domini commutabitur.

Laelius: Dic, quid facias, optime!

Tullia : Loquere, carissime!

Afer : Non est tempus loquendi, sed agendi. Iam convivae improbi villae appropinquant. Post murum hunc nos abdamus! Animos attendite et tacete! Res prospere eveniet.

Laelius: Quod di bene vertant!  
(Sie verstecken sich)

Chorus I : Nunc occasio datur, serve.  
Nunc in te omnia sunt.  
Homo callidus saepe feliciter agit.  
Spem redintegrare licet.

Chorus II: Iam superi interveniunt.  
Iam servo prudentiam iniciunt.  
Aliquando homo parvus ad summas res evehitur.

## SCAENA III

Personae: Grippus causidicus; Phoebus Grippi filius.

Phoebus: Res optime se habet, Glaucos carus et acceptus sum.  
Mox gener dives hominis ditissimi ero.

Laelius: (aus dem Versteck)  
Fabulae!

Grippus: Fortuna nos effert, mi fili. E stultitia Glauci utilitatem capiemus. Pecuniis otioque abundabimus. Tempus consumemus in edendo, bibendo, dormiendo, amando.

Tullia : (aus dem Versteck)  
Eheu, tu scelestes!

Phoebus: Vivant pulchrae mulieres Urbis pulchrioris!

Afer : (aus dem Versteck)  
Ego te, si vivo!

Grippus: Pst, voces audio. Cave, ne sis loquax aut praecipuus! Partes nostras agamus!

Phoebus: (leise) Recte dicis.  
(laut und pathetisch) Nihil vero amoenius est vita rustica. Quam pulchra forma regionis! Quam blandus florum color!

Grippus: Bene iudicas, mi fili! Demiror esse, qui delectentur Urbe fumosa.

Afer : (hinzutretend) Salvete, viri amplissimi!

Grippus: Salve, nobilissime vir!

Phoebus: Ecce venit iuvenis diis simillimus!

Afer : (leise) Garrulator!  
(laut) Homo litteratus es, domine!

Grippus: Ita, ut dicis, optime. Studet dies noctesque.

Phoebus: (pathetisch) Non est studiorum satietas.

Afer : Facile credo...fortasse autem impedio negotia tua?

Phoebus: Minime. Non omittenda sunt studia, sed tamen intermittenda nonnumquam. Hodie ex laboribus conquiescam. Cenabo apud socerum meum.

Afer : Quid ita? Tulliamne, filiam Glauci, in matrimonium duxisti?

Phoebus: Nondum duxi, optime, sed ducam. Tullia me tamquam oculos amat.

Grippus: Amore eius misere deperit puellula.

Tullia : (aus dem Versteck)  
 Quid ille narrat?

Afer : (auf Phoebus zustürzend) Gratias tibi ago maximas,  
 carissime!  
 (Grippus umarmend) Merito te amo, benignissime.

Phoebus: Non est, quod gratias agas.

Afer : O homines probos atque modestos. Semper vos amabo,  
 nam Glaucum infelicem, amicum nostrum, in rebus  
 adversis non relinquitis.

Phoebus: (stotternd) Glaucum infelicem?

Grippus: (ebenso) In rebus adversis?

Afer : In rebus adversissimis! Glaucus noster homo dirup-  
 tus dirutusque est. Heri mane tres naves frumento  
 onustas naufragio amisit.

Grippus: Occidi.

Afer : Heri vesperi tempestas pulcherrimas silvae arbores  
 evellit.

Phoebus: Perii.

Afer : Hodie mane Tiberis flumen agros eius inundavit  
 messemque delevit.

Grippus: (niedersinkend) Nunc cecidit fulmen!

Afer : (ebenso) Haec est rerum humanarum condicio.

(Schweigen)

Phoebus: (leise vor sich hin)  
 Res redit ad restim!  
 (zu Grippus) Move te, capti sumus. Numquam gener  
 hominis pauperis ero.  
 (seinen Vater mit sich fortziehend) Fugae nos man-  
 demus!

Afer : (leise vor sich hin) Magna spes me tenet  
 nos victuros esse.  
 (laut) Quo nunc properatis, amici?

Phoebus: Tempora mutantur nos et mutamur in illis.

Grippus: (leise zu Phoebus) Tace, inepte!  
 (laut zu Afer) Gravissime ferimus calamitatem  
 Glauci nostri. Alio tempore diutius aderimus. Nunc  
 autem domum revertemur mutatum vestem.

Afer : (sie zurückhaltend)  
 Nolite abire, carissimi! Glaucus maximam spem in  
 vobis habet. Amicus est optima vitae possessio.

Visam, quid Glaucus agat.  
 (sich umschauend)  
 Ubi Laelius? Nusquam apparet. Laeli, ubi es?

Laelius: (erscheint)  
 Ecce me, quid est?

Afer : Loquere cum convivis! Adducam Glaucum, amicum mi-  
 serrimum. Continuo hic ero.  
 (er geht ab)

Grippus: (leise) Abi in malam rem!

Laelius: Opportune advenitis, amici. Glaucum magnam consola-  
 tionem adhibetis. Eamus in hortum! Famem dabit am-  
 bulatio.  
 (sie gehen ab)

Phoebus: (vor sich hin) Animus praesagit malum.

Chorus I : Res iam satis calet.  
 Servus fructum capit e stultitia malorum.  
 Iam fraudatores spe decipiuntur.  
 Ex iusta poena volare non possunt.

Chorus II: Ne in ruinis inimicorum exsultemus!  
 Ne delectemur calamitate eorum!  
 Animos tollere stultorum est.  
 Mortales sunt fortunae ludibrium.

Laelius: (tritt wieder auf, Grippus und Phoebus vor sich  
 her schiebend)  
 Assidite, quaeso!  
 (nach Gesprächsstoff suchend)  
 Caelum hodie vero serenum est.

Grippus: (missmutig) Sol urit.

Laelius: Neque frigus est neque aestus.

Phoebus: Est ingens aestus. (er wischt sich die Stirn)

Laelius: Caelum vero siccum est.

Grippus: (sich ebenfalls die Stirn wischend)  
 Aër umidus est et crassus.

Laelius: Nulla usquam nubes conspicitur.

Phoebus: Imber instat.

Laelius: Quid illi narrant.

(Glaucus erscheint mit Afer)

Grippus: (erhebt sich) Tempestas cooritur.

Glaucus: (zu Afer) Nihil credo, sodes. Grippus Phoebusque mihi amici fidelissimi sunt. Eosque semper maxime diligam.  
 (er geht erfreut auf Grippus zu)  
 Salve etiam atque etiam amicorum optime!

Grippus: (zurückhaltend) Salvus sis, Glauce!

Glaucus: (geht auf Phoebus zu)  
 Phoebum optime eccum!

Phoebus: Ecce me.

Glaucus: (zu Grippus) Quomodo vales, amice?

Grippus: Varie. Ut sunt res mortalium.

Afer : Corpus valet, aegrotat crumena.

Glaucus: (zu Afer) Tace, stulte!  
 (zu Phoebus) Rectene vales, carissime?

Phoebus: Vellem quidem.

Glaucus: Garris.

Phoebus: Minime. Gravi morbo aeger sum. (er hustet)

Glaucus: Amabo, quid tibi est?

Grippus: Tussit.

Phoebus: (niest)

Glaucus: Qui te morbus habet?

Grippus: Sternuit.

Phoebus: (hält sich die Nase zu)  
 Nares gravedine vexantur.

Glaucus: Arcessam medicum.

Grippus: Permultos medicos consuluit.

Glaucus: Quid respondent?

Phoebus: Alius aliud dicit.

Glaucus: (Phoebus' Stirn fühlend)  
 Febris esse speciem arbitror.

Afer : Ex aere alieno natam esse opinor.

Glaucus: Mitte iocos, Afer!

Afer : Loquor id quod sentio, domine.

Tullia : (von hinten rufend)  
 Cena parata est. Discumbamus!  
 (hervortretend) Salvete pariter omnes!

Glaucus: Salve Tulliola, immo in tempore advenis. Agite amici, satis moramur! Accumbite, quaeso!

Phoebus: Ut possim, metuo.

Grippus: Morbus filium meum tenet, Glauce. Domum recta ab-  
 ibimus.

Afer : (leise vor sich hin)  
 Ut semper tui similis es.

Tullia : Rogamus igitur, ut cras nobiscum cenetis.

Grippus: Non possumus polliceri.

Glaucus: Saltem die Iovis ad cenam veniatis necesse est.

Phoebus: Promittere certum nequeo.

Glaucus: Quae est haec fabula?

Tullia : Hoc luce clarius est. Phoebus non amat Tulliam, amat dotem Tulliae.

Grippus: (ironisch) Bene dicis, puella. Filius meus numquam filiam impudentem mercatoris pauperis improbique in matrimonium ducet.

Glaucus: (vor Wut zitternd)  
 Filiam impudentem mercatoris pauperis improbique!  
 O facinus indignum! Hanc ignominiam non fero. Ego pol vos ulciscar probe!  
 (er will auf Grippus und Phoebus losstürzen, um sie zu schlagen. Laelius und Afer halten ihn zurück.)  
 (zu Afer) Sine me! Exempla in iis statui oportet. Fraudulationem et morbum istum iis excutiam.

Phoebus: Amabo, mente captus est.  
 (zitternd) Nos adiuvate!

Afer : (dazwischentretend)  
 Pax, nihil amplius!  
 (zu Phoebus und Grippus)  
 Alea iacta est. Cupiditas vestra bene apparuit. Dolo capti estis. Nam Glaucus semper vir ditissimus est et Tullia uxor large dotata.

Grippus: Hoc rusticum est lusus genus. Non mihi placet.

Phoebus: Recte iudicas. Praestat ab hoc ludo desistere. Alio loco rem melius geram. Cras Claudiam viduam ditissimam salutabo.

Grippus: Nos hospitio magnificentissimo accipiet.

Afer : Sit iter laetum.  
 (Grippus und Phoebus gehen ab)

Glaucus: Quanta de spe decidi. Erravi, fateor. Sed errorem corrigere possum. Tulliola, Laeli...nunc fortuna vobis est. Occasionem arripite!

Tullia : Libenter tibi obtemperabimus.

Laelius: Divinitus accidit. Vicimus.



Tullia : Afer, optime de nobis meritis es.  
Laelius: (zu Afer) Debemus tibi pro beneficio tuo.  
Afer : (bescheiden) Mitte!  
Glaucus: Pulchrum praemium accipies, Afer. Te manu mittam.  
Afer : Laetus istud audio, domine. Reogo autem, ut homo libertinus in domo tua manere possim.  
Glaucus: Licet maxime.  
Afer : Nunc autem satis verborum est! Vacuus venter mihi crepitat. Discumbamus! Libertas famem acuit.  
Glaucus: (lachend) Bene dicis, optime. Vivamus et curemus cutem! Carnes anserinae non mediocriter me iuvant. Epicureos agamus!  
Tullia : Sit felix convivium. Memores autem simus beneficii immortalium. Faciamus eis sacra gratis animis.  
(sie gehen ab)

Chori I et II:

O felicem illam domum.  
Benignitate deorum malum aversum est.  
Ventus cecidit. Denuo nunc sol est.  
Omnes laetitia exsultant.  
Nos quoque gratulamur felicitati vestrae.  
Valete omnes et ambulate bene!

Barbara Maier

**Non licet hanc fabulam in scaenam producere nisi  
permissione auctricis!**



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
8050 Zürich




AZB

8050 Zürich

4/92

KALENDIS NOVEMBRIBUS  
MCMXCII



RVMOR VARIUS



TOMVS 15

FASC. 95